

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. X - N. 1

---

1978

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1978

*Decimo Anno*

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio ad Sacram Romanam Rotam . . . . .	5
Allocutio ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis . . . . .	11

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

*Sacra Congregatio pro Episcopis*

De titulo tribuendo Episcopis officio renuntiantibus . . . . .	18
--	----

*Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal*

Litterae circulares ad Archiepiscopos et Episcopos Dioecesanos . . . . .	19
Epistula Exc.mo ac Rev.mo D. Quinn . . . . .	20
Epistula Em.mo ac Rev.mo D. Card. Salazar Lopez . . . . .	21

*Pontificia Commissio de Spirituali migratorum atque itinerantium Cura*

Decretum . . . . .	23
Normae . . . . .	24

COMMISSIO . . . . .	33
---------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus

I. *Coetus studiorum de Sacramentis*

Titulus IV: De Sacramento Paenitentiae . . . . .	47
Titulus II: De Confirmatione . . . . .	74

II. *Coetus studiorum de Iure Matrimoniali* . . . . .

Notitiae . . . . .	86
--------------------	----

Notitiae . . . . .	128
--------------------	-----

prout nuper recognitus est, omnes casus *discessus*, etiam sine iusta causa peracti, praebent ius ad novum matrimonium partis baptizatae.

Omnis alii Consultores vero retinere volunt verba *sine iusta causa*, ne ansa abusus praebatur parti baptizatae. Deinde fit suffragatio an placet delere verba *sine iusta causa*: placet 2, non placet 5.

Hac suffragatione peracta, quidam Consultor petit ut etiam in can. 339 § 1 addatur « ... dummodo pars non baptizata *sine iusta causa* discedat ».

Consultores hanc novissimam suggestionem admittunt, attamen, ad redactionem quod attinet, preferunt servare can. 339 § 1 prouti est et can. 339 § 2 vero ita redigere: « Discedere censetur pars non baptizata si nolit cum parte baptizata cohabitare vel cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam ».


Aliquis Consultor animadvertisit per talem restrictionem can. 339 minime provideri casibus eorum qui non « discedunt » (sensu technico ad mentem canonis) et tamen cohabitare non possunt cum parte baptizata ob circumstantias quae non pendent ab ipsorum voluntate. In talibus adiunctis iure vigenti (can. 1125) pars baptizata potest aliud matrimonium contrahere, et etiam in novo Codice oportet de his casibus cavere. Suggestio haec placet Consultoribus, et ideo accurate discussio ac plures nisus habentur novae redactionis can. 339 § 2 ita ut includatur ibi etiam casus qui in Const. Gregorii XIII describitur quando scilicet restauratio cohabitationis ratione captivitatis, persecutionis aliave huiusmodi causa impossibilis evaserit. Tandem alter Consultor proponit ut de hoc casu ratio habeatur in can. 344 et quoad can. 339 § 2 stetur in decisio. Propositio haec omnibus placet.

### Adunatio diei 30 ianuarii 1978

#### *Can. 343 (CIC 1124)*

*Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis praescriptis cann. 277-280 et 286.*

Aliquis Consultor proponit ut materia cann. 342 et 343 in unico canone disponatur, hoc ordine systematico servato: « Adimpletis praescriptis de quibus in can. 340:



1) pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi *cum parte catholica*;

2) Ordinarius loci, gravi tamen de causa, concedere potest ut pars baptizata matrimonium contrahat cum *parte acatholica* ... servatis praescriptis ... ».

Contra hanc novam dispositionem materiae habetur suggestio duorum Consultorum qui censem hoc modo confusionem haberi circa ambitum privilegii paulini; nam casus de quibus in can. 343 continent extensionem aliquam privilegii paulini et ex redactione canonis clare apparere debet quod agitur de aliqua extensione.

Alter Consultor censem in hac sede superfluam esse quaestionem doctrinalem de ambitu proprio privilegii paulini et accedit propositioni primi Consultoris, quae praebet notionem canonicam privilegii paulini prout nunc est in praxi Ecclesiae.

Deinde habetur discussio accurata de hac quaestione et tandem fit suffragatio an placeat materiam cann. 342 et 343 in unico canone disponere: placet 3, non placet 3.

Quoniam exitus suffragationis non dirimit quaestionem, manet textus schematis et proinde duo canones distincti servantur.

Aliquis Consultor proponit ut in can. 342 initio addatur: « Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi *cum parte catholica*: 1<sup>o</sup> ... 2<sup>o</sup> ... ».

Propositio haec placet 5, non placet 1.

Deinde varii habentur nisus novae formulae can. 343 et tandem recipitur formula redacta a quodam Consultore, quae ita dicit:

« Can. 343: Ordinarius loci tamen, gravi de causa, concedere potest ut pars baptizata, utens privilegio paulino, contrahat matrimonium cum parte non catholica sive baptizata sive non baptizata, servatis etiam praescriptis de matrimoniis mixtis ».

Exitus suffragationis circa hanc formulam hic est: placet 4, non placet 2.

#### *Can. 344 (CIC 1125)*

§ 1. *Non baptizatus, qui plures uxores simul habuerit, ad fidem catholicam se convertens, si durum sit ei cum earum prima permanere, potest quamlibet ex illis, ceteris dimissis, retinere. Recepto autem baptismi, renovandus est consensus matrimonialis, obtenta etiam, si opus sit, dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cul-*

*tus, servatis aliis de iure servandis. Si istae conditiones non verificantur, recurrendum est ad Sedem Apostolicam in singulis casibus.*

§ 2. *Ordinarius, p[ro]ae oculis habita conditione morali, sociali, oeconomica locorum et personarum, curet ut primae uxoris aliarumque dimissarum necessitatibus satis provisum sit, iuxta normas iustitiae, christiana[rum] caritatis et naturalis aequitatis.*

#### *De § 1*

Quoad § 1 sequentes animadversiones factae sunt: Nonnulli proposuerunt ut supprimatur verbum « simul », alii autem ut potius addatur « ... qui plures uxores *simul vel successive* habuerunt ».

Consultores aliqui vellent delere verbum « simul », nemini autem placet addere « *simul vel successive* ». Fit suffragatio an placeat delere verbum « *simul* »: placet 3, non placet 3.

Attento exitu suffragationis, praevalet textus prout est.

— Suggestum est ut dicatur « *habeat* » loco « *habuerit* ». Propositio omnibus Consultoribus placet.

— Nonnulli petierunt ut melius consideretur quaestio de matrimonio polygamo ita ut lex condi possit qua conversus ad fidem non debeat, una uxore electa, ceteras dimittere, cum consequenti disruptione vitae tribus et familiae et damno gravi uxorum et liberorum. Dismissio enim uxorum videtur esse contra iustitiam naturalem.

Consultores dicunt nostram Commissionem non habere competentiā circa hanc quaestionem, quae pertinet ad S. Congregationem pro Doctrina Fidei.

Aliquis Consultor censet expungi posse e canone verba « ceteris dimissis », quia haec suppressio verborum nullam mutationem doctrinae significaret. Fit ergo suffragatio an placeat delere verba « ceteris dimissis », at quoniam exitus suffragationis aequalis sit, praevalet textus canonis prout est.

— Est qui censeat clausulam canonis « si durum sit ei cum earum prima permanere » esse nimis levem, quae criterio subiectivo potius indulget; ideo proponitur ut ita mutetur: « si ei *nimirum* durum sit, attentis personarum et locorum adjunctis et iudicio Ordinarii loci ».

Consultoribus magis placet norma prout est, quia respondet praxi Ecclesiae.

— Nonnulli animadverterunt non esse necessarium neque opportunum exigere ut renovetur consensus, recepto baptismo, quia consensus naturaliter sufficiens habetur ipso facto electionis continuationis

in conviventia maritali cum una ex uxoribus quas habebat, etsi non fuerit prima.

Consultores admittunt renovationem consensus non esse per se necessariam, attamen talem renovationem impositam fuisse eum in finem ut per actum aliquem formalem constaret quamnam uxorem baptizatus elegerit. Quaestio nunc est an hoc tantum modo ille finis consequi possit, et Consultores concordant etiam aliis modis consequi posse, ut puta per adnotationem in libro matrimoniorum. Quapropter norma ita redigitur: « ... unam ex illis, ceteris dimissis, retinere potest, dummodo de utriusque consensu constet ».

— Iidem animadvertisunt non esse necessarium ut concedatur per actum explicitum dispensatio ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, quia sufficit implicita dispensatio quae continetur in ipso actu quo polygamo conceditur ut eligere possit uxorem quam maluerit inter eas quas habet, sive haec sit catholica sive baptizata extra ecclesiam catholicam, sive non baptizata.

Unus Consultor idem sentit, at alii Consultores volunt normam retinere prout est in schemate.

#### *De § 2*

— Nonnulli conquesti sunt hanc normam onus imponere intolerabile conscientiae Ordinarii.

Consultores censent hoc onus evadere intolerabile si ipse Ordinarius providere deberet; norma vero committit Ordinario vigilantiam vel curam ut necessitatibus uxorum dimissarum satis provisum sit, quod non videtur intolerabile.

#### *Adunatio diei 31 ianuarii 1978*

Consultores prae oculis habent quae hucusque dicta sunt de can. 344 necnon de consilio transferendi hunc in canonem casum qui in Const. Gregorii XIII desribitur, scil. de iure partis baptizatae novas nuptias contrahendi quando restauratio cohabitationis cum propria uxore impossibilis evaserit ratione captivitatis, persecutionis aliave huiusmodi causa (cf. discussionem de can. 342). Ipsi Consultores examinant Constitutiones de quibus sermo fit in can. 1125 CIC, ut videant an alius casus ibi contineatur. Hoc examine peracto, duo Consultores sequentem redactionem can. 344 proponunt:

¶ 1. Non baptizatus qui plures uxores non baptizatas simul habeat, recepto in Ecclesia catholica baptismō, si durum ei sit cum earum prima permanere, unam ex illis, ceteris dimissis, retinere potest. Idem valet de muliere non baptizata qui plures maritos non baptizatos simul habeat.

§ 2. Vir non baptizatus ad fidem catholicam se convertens, qui cum sua uxore non baptizata ratione captitatis, persecutionis aliave huiusmodi causa semper disiuncta cohabitationem restaurare nequit, aliud matrimonium contrahere potest. Itemque in iisdem circumstantiis mulier ad fidem catholicam se convertens novas nuptias adire potest.

§ 3. In casibus de quibus in §§ 1 et 2 matrimonium, recepto baptismō, forma legitima contrahendum est, servatis etiam, si opus sit, praescriptis de matrimoniis mixtis et aliis de iure servandis.

§ 4. Ordinarius ... (= § 2, prout est in schemate).

Deinde fiunt suffragationes de singulis §§:

— An placeat § 1: placet 5, placet iuxta modum 1.

Modus: dicatur « non baptizatus ... recepto baptismō, unam ex illis, ceteris dimissis, retinere potest. Idem valet ... ».

— Antequam fiat suffragatio de § 2, aliquis Consultor animadvertisit verba « aliave huiusmodi causa » esse nimis lata et abusus favere posse.

Praeterea cavendum est de casu quando pars in captititate constituta et ipsa interea baptismum receperit: etiam in hoc casu non reputat concessio novi matrimonii alterius partis, cum interveniat pro veteri matrimonio dispensatio super rato et non consummato. Ideo Consultor formulam canonis ita proponit: « Non baptizatus qui, recepto in Ecclesia catholica baptismō, cum coniuge non baptizato ratione captitatis vel persecutionis cohabitationem restaurare nequit, aliud matrimonium contrahere potest, etiamsi altera pars baptismum interea receperit ».

Haec formula omnibus placet.

— An placeat § 3: placet 4, placet iuxta modum 2.

Modus: in casu de quo in § 1 non requiratur renovatio consensus et addantur in § 1 verba: « dummodo de consensu mulieris constet ».

— An placeat § 4: omnibus placet.

*Can. 345 (CIC 1127)*

*In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.*

De hoc canone factae non sunt animadversiones.

Can. 346 (novus)

§ 1. *Matrimonium initum a partibus, quarum una saltem baptizata non fuit, a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam ambo coniuges baptizati fuerint.*

§ 2. *Ut huiusmodi matrimonii solutio in favorem fidei valide concedatur, requiritur:*

1) *ut alteruter coniux baptismate careat perdurante toto vitae coniugalis peractae tempore;*

2) *ut post baptismum forte susceptum a parte quae baptizata non erat, matrimonium non fuerit consummatum;*

3) *ut persona non baptizata vel baptizata extra Ecclesiam catholicae parti catholicae, quacum novum contrahitur matrimonium, libertatem facultatemque relinquat propriam religionem profitendi atque catholice baptizandi educandique filios; quae conditio, cautionis forma, in tuto ponenda est.*

— Est qui censeat facultatem de qua in § 1 committi posse etiam Episcopis. Consultores autem respondent potestatem hanc esse propriam Summi Pontificis.

— In fine § 1 dici debet « sunt » loco « fuerint ».

— Nonnullis redactio § 2 videtur funditus recognoscenda, quia quae dicuntur in nn. 1 et 2 iam habentur in § 1 et quae dicuntur in n. 3 non videntur recte dicta, quia supponitur partem catholicam contrahere semper cum parte non catholica.

Consultores concordant circa has animadversiones.

Quidam Consultor praeterea censet cautiones recensitas in n. 3 non requirendas esse ad validitatem, uti fit pro matrimoniis mixtis ubi cautiones non imponuntur uti conditiones sine qua non. Duo alii Consultores vero negant paritatem cum matrimoniis mixtis, quia hic agitur de solvendo priore matrimonio in favorem fidei. Post aliquam discussiōnem, omnes Consultores concordant circa necessitatem cautionum ad validitatem.

His dictis, § 2 ita redigitur: « Ut huiusmodi solutio valide concedatur requiritur quoque ut, si novum matrimonium contrahatur cum persona non baptizata vel baptizata non catholica, haec parti catholicae libertatem relinquat propriam religionem profitendi atque facultatem catholice baptizandi educandique filios; quae conditio cautionis forma, in tuto ponenda est ».

*Can. 347 (CIC 1128)*

*Coniuges habent officium et ius servandi communionem vitae coniugalnis, nisi legitima causa eos excusat.*

— Nonnulli suggesserunt ut tota materia de separatione coniugum manente vinculo (cann. 347-351) non retineatur in Codice, sed potius committatur Episcoporum Conferentiis quae, ubi opus fuerit, leges particulares de re ferre poterunt secundum mores populorum.

De sententia alicuius Consultoris adest ratio peculiaris retinendi hos canones in Codice, quia causa praecipua (adulterium) ius dans ad instituendam separationem, habet fundamentum in S. Scriptura.

Post parvam discussionem, Consultoribus placet retinere hos canones in Codice.

— Suggestum est ut in can. 347 dicatur « domesticum convictum » loco « communionem vitae coniugalnis », quia locutio « communio vitae » adhibita est in definitione matrimonii et in praesenti canone confusione gigneret.

Ratio suggestionis placet Consultoribus, qui tamen praeferunt locutionem *convictum coniugalem* (placet 6, non placet 1).

## Adunatio diei 1 februarii 1978

*Can. 348 (CIC 1129)*

§ 1. *Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi vitae coniugalnis communionem, nisi in adulterium consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque adulterium commiserit.*

§ 2. *Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus fuerit; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalnis communionem servaverit, neque recursum apud auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit.*

§ 3. *Si coniux innocens sponte vitae coniugalnis communionem solverit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus consideratis circumstantiis, decernat utrum separatio legitimate protrahi possit sive temporanea sive perpetua.*

— Suggestum est ut in § 1 commendetur primo loco reconciliatio et postea dicatur de iure coniugis innocentis solvendi convictum coniugalem. Suggestio placet Consultoribus.

Unus Consultor vero proponit ut in § 1 dicatur fuse de onere reconciliationis, ita ut coniux innocens, caritate christiana motus et propriae responsabilitatis de salute coniugis conscient, conetur, iniuriam condonans, eum in bonam frugen adducere et unitatem familiae servare. Propositio haec non placet Consultoribus, quia plura onera imponit coniugi innocentis; magis placet formula qua innuatur tantum de bono reconciliationis et in recto vero dicatur de iure solvendi convictum coniugalem.

His dictis, aliquis Consultor proponit hanc formulam quae omnibus placet:

« § 1. Licet enixe commendetur ut coniux, caritate christiana motus et boni familiae sollicitus, veniam non abnuat comparti adulterae atque vitam coniugalem non disrumpat, si tamen eiusdem culpam expresse aut tacite non condonaverit, ius ipsi est solvendi coniugalem convictum, nisi in adulterium consenserit aut eidem causam dederit vel ipse quoque adulterium commiserit ».

— De § 2 factae non sunt animadversiones. Dici tamen debet « ... si per sex menses *coniugalem convictum* servaverit ... ».

— Circa § 3 habetur animadversio cuiusdam Consultoris, qui censet coniugem innocentem habere *ius* ad separationem perpetuam si ipse illam eligat.

Alter Consultor autem censet coniugem innocentem habere ius ad separationem; non ipsi autem sed auctoritati ecclesiasticae pertinet determinare utrum separatio beat esse temporanea vel perpetua.

Post aliquam discussionem aliquis Consultor hanc formulam proponit:

« § 3. Si coniux innocens sponte convictum coniugalem solverit, intra sex menses causam separationis deferat ad competentem auctoritatem, quae, omnibus inspectis adjunctis, perpendat si coniux innocens adduci possit ut culpam condonet et separationem non in perpetuum protrahat ».

Haec formula omnibus Consultoribus placet, uno excepto, qui vellet clarius determinare quaenam sit « competens auctoritas ecclesiastica » et quaenam sit « causa » de qua auctoritas ecclesiastica decernere debet.

Suffragatur an placeat formula § 3: placet 6, non placet 1.

*Can. 349 (CIC 1130)*

*Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem rursus admittere, quo in casu iuri separationis renuntiat.*

— Proponitur ut initio dicatur: « Coniux innocens laudabiliter alterum coniugem etc. ». Propositio omnibus placet.

— Quidam Consultor proponit ut iste canon ponatur in fine capituli, post can. 351. Propositio omnibus placet.

*Can. 350 (CIC 1131)*

*§ 1. Si alteruter coniugum vitam communem sive coniugi sive filii periculosam vel nimis duram reddat, alteri legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si periculum sit in mora.*

*§ 2. Episcoporum Conferentiae est causas separationis, pro moribus populorum et locorum circumstantiis, statuere.*

*§ 3. In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est (nisi in decreto separationis aliter statutum sit).*

— Suggestum est ut initio ita dicatur: « Si alteruter coniugum culpabiliter grave seu animi seu corporis periculum alteri aut proli facescat, vel aliter vitam communem nimis duram reddat, alteri legitimam etc. ». Propositio omnibus placet, dempto tamen verbo « culpabiliter ».

Proponente aliquo Consultore, ultima verba § 1 ita mutantur: « ... auctoritate Ordinarii loci et, si periculum sit in mora, etiam propria auctoritate ».

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « auctoritate Ordinarii loci », ita ut de interventu Ordinarii, si alicubi necessarius censeatur, videat ius particulare. Consultores vero censem valde opportunum esse ut factum tam grave separationis non ignoretur a legitima auctoritate ecclesiastica, proinde non placet delere illa verba.

— Aliquis Consultor proponit ut deleatur § 2, quae superflua videntur, attenta nova redactione § 1, ubi omnes cause separationis quae ordinarie contingere possunt continentur. Propositio omnibus Consultoribus placet, uno excepto, qui repristinare potius vellet indicem causarum separationis qui in can. 1131 CIC habetur.

— Quoad § 3 perpluribus placuit clausula « nisi in decreto separationis aliter cautum sit », attamen aliqui suggesterunt ut interventus Ordinarii possibilis sit non solum in actu decreti, sed etiam postea.

Propositio haec placet Consultoribus et ideo in canone dicitur: « ... restauranda est, nisi ab auctoritate ecclesiastica aliter statuatur ».

— In eadem § 3 dici debet « coniugalis convictus » loco « vitae consuetudo ».

*Can. 351 (CIC 1132)*

*Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de educatione filiorum catholica et civili.*

— Aliquis Episcopus votum fecit ut aliquid hic dicatur de sustentatione coniugis innocentis. Consultores respondent quaestionem hanc pertinere potius ad ius civile. Aliqui Consultores tamen censem aliquid dicendum esse de sustentatione saltem filiorum et ideo formula canonis ita mutatur: « ... cavendum est de debita filiorum sustentatione et educatione ».

*Can. 352 (CIC 1133)*

*§ 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensesetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscientia.*

*§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem convalidationis, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.*

— Crisis facta est ab aliquibus de verbo *renovet* (consensum), quia in casu agitur de dando consensu valido, cum primus consensus fuerit invalidus ratione impedimenti.

Consultores non immorantur circa talem suggestionem, quae nimia subtilitate sapit.

— In § 1 deletur verbum « dirimens », attenta suppressione impedimentorum impedientium.

*Can. 353 (CIC 1134)*

*Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod renovans sciatur aut opinetur ab initio nullum fuisse.*

De hoc canone nulla facta est animadversio.

*Can. 354 (CIC 1135)*

§ 1. *Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 319 § 3.*

§ 2. *Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto: et quidem a parte impedimenti conscientia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, aut ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum.*

— Suggestum fuit ut dicatur « probari potest » loco « publicum » et ut dicatur « forma iure praescripta » loco « forma canonica ». Consultoribus magis placet canon prout est.

*Can. 355 (CIC 1136)*

§ 1. *Matrimonium irrum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.*

§ 2. *Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet.*

§ 3. *Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus forma canonica praestetur.*

— Aliquis Consultor censem §§ 2-3 esse inutiles ac supprimi posse, contradicentibus vero aliis Consultoribus, qui dicunt utilitatem harum normarum clare innotescere quando de his matrimonii causae nullitatis forte moveantur.

*Can. 356 (CIC 1137)*

*Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma, salvo praescripto can. 319 § 3.*

Aliquis Consultor proponit ut dicatur « forma canonica » loco « legitima forma ». Propositio omnibus placet.

*Can. 357 (CIC 1138)*

§ 1. *Matrimonii irrum sanatio in radice est eiusdem convalidatio, a competenti auctoritate concessa, secumferens dispensationem a lege de renovando consensu, de qua in can. 352-356, et dispensationem impedimenti, si adsit, necnon retroactionem, circa effectus canonicos, ad praeteritum.*

*§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retractio vero intelligitur facta ad momentum celebrationis matrimonii, nisi aliud expresse caveatur.*

— Suggestum est ut dicatur retrotractionem esse *per fictionem iuris*. Consultoribus vero propositio non placet quia haec additio verborum esset tantum explicatio aliqua.

— Consultores, communi consilio, ita formulam § 1 perficiunt: « Matrimonii irriti sanatio in radice est eiusdem, sine renovatione consensus, convalidatio, a competenti auctoritate, concessa secumferens dispensationem ab impedimento, si adsit, necnon retrotractionem effectum canonicorum ad praeteritum ».

*Can. 358 (novus)*

*§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus.*

*§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.*

De hoc canone nulla facta est animadversio.

*Can. 359 (novus)*

*§ 1. Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens vel ob defectum legitimae formae sanari potest, dummodo consensus utriusque partis perseveret.*

*§ 2. Matrimonium irritum ob impedimentum iuris naturalis aut divini positivi sanari nequit nisi postquam impedimentum cessaverit.*

— Suggestum est ut in § 1 addatur: « ... ob impedimentum dirimens iuris ecclesiastici vel ... ». Consultores censem talem addictionem esse superfluum.

— In § 1 deletur verbum « dirimens », attenta suppressione impedimentorum impudentium.

— Consultor quidam proponit ut in § 2 ita dicatur « Matrimonium ... sanari potest postquam impedimentum cessaverit ». Hoc modo melius apparet ratio huius canonis, quia forma positiva confirmatur progressus qui habitus est in hac materia. Haec propositio placet 4, non placet 3.

*Can. 360 (CIC 1139)*

*Sanatio valide concedi potest etiam alterutra vel utraque parte inscia; ne autem concedatur nisi ob gravem causam et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare.*

Circa conditiones quae in hoc canone requiruntur pro concessione sanationis, duo Consultores vellent illas requirere sive quando alterutra vel utraque pars inscia sit, sive quando conscientia sit. Habita discussione de hac re, Consultores concordant ut causa gravis requiratur tantum si alterutra vel utraque pars inscia sit; in omnibus autem casibus sanationis in radice semper requiratur, tamquam conditio, ut probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare. His dictis, expunguntur ex hoc canone verba « et nisi probabile sit partes in vita coniugali velle perseverare » et, proponente quodam Consultore, additur § 3 in can. 357, his verbis redacta: « Sanatio in radice ne concedatur nisi probabile sit partes in vita coniugali perseverare velle ».

Adunatio diei 2 februarii 1978

Huic adunationi praeeest Cardinalis Praeses.

*Can. 361 (CIC 1140)*

§ 1. *Sanatio in radice concedi potest ab Apostolica Sede.*

§ 2. *Concedi quoque potest ab Episcopo dioecesano aliisque iure eidem aequiparatis, in singulis casibus, etiamsi plures nullitatis rationes in eodem matrimonio concurrent, impletis conditionibus de quibus in can. 277 pro sanatione matrimonii cui obstat impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus; concedi autem ab iisdem nequit si adsit impedimentum cuius dispensatio Sedi Apostolicae reservatur ad normam can. 266 § 2, aut agatur de impedimento iuris naturalis aut divini positivi quod iam cessaverit.*

— Habetur aliqua discussio inter Consultores num conveniat canonem ita redigere ut in § 1 recenseantur casus S. Sedi reservati et in § 2 sermo tantum fiat de facultate Episcoporum concedendi sanationem; sed maior pars Consultorum praeferat systema canonis prout nunc est, quia secus non clare poneretur principium generale potestatem S. Sedis asserens.

— Redactio § 2 ita aliquantulum mutatur: « Concedi potest ab Episcopo in singulis casibus, etiam si plures nullitatis rationes in eo-

dem matrimonio concurrant, impletis conditionibus de quibus in can. 277 pro sanatione matrimonii mixti; concedi autem ... ».

— Aliquis Consultor supprimere vellet comma de conditionibus de quibus in can. 277 servandis, quia, dicit ipse, non opportunum videtur illas requirere quando consortium coniugale per diuturnum iam tempus protractum sit; at aliis Consultoribus talis proposizio non placet.

His dictis absolvitur labor qui Coetui commissus fuit, examinandi nempe atque perpendendi animadversiones quas Organa consultationis circa canones de matrimonio fecerunt.

Deinde ratio habetur de consiliis quae E.mi PP. Cardinales prodierunt circa alias quaestiones ipsis commissas in Congregatione Plenaria dd. 24-27 maii 1977, nempe: de notione matrimonii (can. 243, § 1); de favore iuris quo gaudet matrimonium (can. 244); de potestate Episcoporum Conferentiarum constituendi impedimenta etiam impedientia (can. 262, § 3) (cf. *Communicationes*, 9, 1977, pp. 79-80).

a) Circa primam quaestionem Patribus placuit ut in can. 243 praebeatur notio matrimonii, quae tamen notio debet esse descriptiva seu in obliquo et respicere debet matrimonium « in fieri », quoad eiusdem tantum elementa essentialia. Inter haec elementa essentialia placet ut recenseatur « coniunctio vitae » (vel consortium vitae vel communio vitae), dummodo vitentur expressiones quae ansam praebere possint falsis interpretationibus in iurisprudentia.

Attenta hac mente Patrum Cardinalium, Consultores nisus faciunt de nova redactione canonis circa notionem matrimonii. Praevalet sententia enucleandi in uno canone, qui sit primus Libri de matrimonio, materiam sive de sacramentalitate matrimonii (c. 242) sive de notione matrimonii (c. 243, § 1).

Consultor quidam hanc formulam proponit:

Can. 242: § 1. Matrimonium, quod est foedus quo vir et mulier intimam inter se constituunt totius vitae communionem, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis procreationem et educationem ordinatam, a Christo Domino ad sacramenti dignitatem inter baptizatos evectum est.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere quin sit eo ipso sacramentum.

Alter Consultor animadvertis locutionem CIC « *ipsum* contractum matrimoniale » (can. 1012) habere suum valorem, quare opportunum esset talem locutionem introducere hic, secus intelligi posset sacramentalitatem esse aliquid additum matrimonio naturali.

Aliis Consultoribus non videtur talem animadversionem habere valorem cogentem, quia in formula CIC sermo fit de *contractu* matrimonii, in praesenti autem formula sermo fit de *matrimonio*.

Cardinalis Praeses censet hanc formulam non praebere definitiō nem *in obliquo*, nam dicit « *matrimonium ... est foedus quo ...* ». Quare Consultor ita formulam mutat initio: « *Matrimoniale foedus, quo vir et mulier intimam inter se ...* ». - Formula ita emendata placet omnibus.

*b)* Circa aliam quaestionem, PP. Cardinalibus placuit ut in novo Codice retineatur principium favoris iuris, quatenus continet praesumptionem pro validitate matrimonii. Quare can. 244 schematis ita manet: « *Matrimonium gaudet favore iuris, quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur* ». Ex hac formula expuncta sunt verba « *salvo praescripto can. 345* », quae erant in formula schematis, quia maioritati Consultorum (placet 5, non placet 2) ita placuit.

*c)* Circa tertiam quaestionem placuit PP. Cardinalibus ut Episcoporum Conferentiis non concedatur potestas constituendi impedimenta matrimonialia neque dirimentia neque impedientia. Proinde deletur § 3 can. 262 schematis.

Tum Consultores canones totius Schematis de matrimonio attente denuo legunt atque perpendunt ad illos magis magisque perpoliendos, quare mutationes inducuntur in canonibus qui sequuntur:

Can. 259: Poni debet post can. 244.

Can. 260: Cum impedimenta impedientia suppressa sint, neque datur Episcoporum Conferentiis facultas constituendi impedimenta impedientia, redactio huius canonis ita fit: *Impedimentum dirimens personam inhabilem reddit ad matrimonium valide contrahendum*.

Can. 262: § 1. uti est; § 2. *Uni quoque supremae auctoritati ius est alia impedimenta pro baptizatis constituendi*.

Can. 283: § 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua, sive ... *matrimonium ex ipsa eius natura dirimit*.

Can. 289: Inter virum et mulierem abductam vel saltem retentam ... *matrimonium sponte eligat*.

Can. 293: Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem *aut ex notorio ...*

Can. 294: *Matrimonium inter se valide contrahere nequeunt inter quos adoptio ad normam iuris civilis exsistit.*

Can. 296: Sunt incapaces matrimonii contrahendi: 1º qui mentis morbo ... utpote *sufficienti rationis usu carentes ...*

Can. 311: § 2. *Assistens matrimonio intelligitur tantum qui praesens requirit manifestationem contrahentium consensus eamque nomine Ecclesiae recipit.*

Can. 318: § 1. *Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo Assistens ad normam iuris competens, inire intendente verum matrimonium, illud valide ac licite coram solis testibus contrahere possunt:*

1º *in mortis periculo;*

2º *extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur earum rerum conditionem esse per mensem duraturam.*

Can. 325: Permissio matrimonii secreti secumfert: 1º ...; 2º *ut secretum de matrimonio celebrato servetur ab Ordinario loci, Assistente, testibus, coniugibus.*

— Post Caput VI « De forma canonica » collocari debet Caput VII « De matrimonii mixtis » (cf. *Communicationes*, 9, 1977, pp. 353-359). In canonibus de matrimonii mixtis sequentes mutationes inductae sunt:

Can. 2: Ab hac lege loci Ordinarius dispensationem concedere potest, si iusta et rationabilis causa habeatur; *eam ne concedat nisi impletis conditionibus quae sequuntur: 1º ..., 2º ..., 3º ...*

Can. 6: Supprimitur.

(F. VOTO, *Actuarius*)

